



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 57. Joannes Segoviensis Panormitanum confutare conatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](#)

Sæcul. XV. sepe opponens : cum enim harum tres  
A.C. 1439. priores quæstionem juris, reliquæ vero  
factum, & Eugenii Personam tangerent,  
ille omni nisu has posteriores utpote Pon-  
tifici injuriosas confutavit. Cuncta illa  
fuere agitata in quadam Congregatione  
in qua præside Cardinale Arelatensi, Ni-  
colaus Amici Parisiensis Theologus su-  
fragia collegit, & Joannes Dienlifist na-  
tione Scotus Secretarii munere fundis-  
est. Evidem Panormitanus in sua O-  
ratione, cuius summam Æneas Sylvius  
recitat, Synodum Papa esse superiorum  
afferebat, ejusmodi tamen doctrinam ad  
fidei dogma extolli posse omnino neg-  
bat. *Quod si forsitan, inquit, in prima*  
*dissolutione peccasset Eugenius, nequam*  
*tamen adversus ipsum tanquam haereticum*  
*procedi posset. Ejus orationem*  
*laudatam magis, quam approbatam, id*  
*tamen efficaciam habuisse testatur Sy-*  
*vius, ut postea verbum Relapsum ex con-*  
*clusionibus tolleretur, in ejus locum subsi-*  
*stituta voce, Prolapsum.*

## §. LVII.

*Joannes Segoviensis Panormitanum*  
*confutare conatus.*

Panormitani orationem Joannes Segoviensis Theologus longe peritissimus ex Collegio Salmanticensi confutandam suscep-

fuscepit. Hic multa sermonis concinnitate, atque animi modestia ostendit, quod A.C. 1439.  
 nihil validius adversariorum suorum causam pessum dare, quam ipsa Panormitani argumenta. Nam si, inquiebat ipse, ea, quae ex decretis, & declarationibus Ecclesiæ elicuntur, ad fidei articulos pertinent, manifestum est, Eugenium Papam in fidem Catholicam peccasse, eo quod Ecclesiæ leges transgressus esset, necnon jugum obedientiæ Concilio Constantiensis debitæ excusisset, illiusque decreta toties in Basileensi Synodo inculcata sprevisset. Talia loquentem Panormitanus *En. Syri loc. cit. p. 6.*

subinde interpellabat, ægre ferens suæ caussæ præjudicatum iri, sed Joannes Segoviensis nihil motus verba facere perrexit. Eadem quidam Episcopus auxilio fuit, sed tanta verborum asperitate, ut ad probra ac convitia ventum fuerit, de quibus veniam petere compulsus est.

Postero die habita est Congregatio Generalis, in qua Amadæus Lugdunensis Archiepiscopus, Regis Francorum Orator, postquam Eugenium esse hæreticum pluribus rationibus comprobavit, amare conquestus est, illorumque ignorantiam, qui tales Virum Pontificio folio præfecerant, detestatus in exaggerandis Ecclesiæ calamitatibus tempus absumpsit. Ex adverso Burgensis Episcopus Regis Arragonum Eleemosynarius Euge-

Sæcul. XV. nii innocentiam vindicare aggressus præfatas conclusiones in generales, ac particulares divisit, & harum tres primas rara eloquentiæ ubertate explanans, earum veritatem minime dubiam esse comprobavit, dummodo in canonem Articulorum fidei non referantur; illam enim adjectionem, quæ fidei ficeret mentionem, sibi omnino dubiam videri asseruit. Dein prolixa admodum oratione ostendit, Synodus Pontifice superiorem esse, idque tam ex divino, quam humano jure demonstrare conatus, demum in argumenti sui confirmationem pro illius ævi more ipsum quoque Aristotelem adduxit. Verbo: tanta eruditioñis amplitudine, tamque limato sermone peroravit, ut unus omnium in se aures, animosque ilspensos haberet. Ast cum declamare pergeret, tandemque sermonem ad poltrinas quoque quinque conclusiones converteret, eloquentiam siccioribus jamjam venis profluere, & rationum suarum robur vix non deficere videbatur; ita totus a se ipso degenerabat, ut omnes jam alium a Burgensi Episcopo perorantem sese audire existimarent.

§. LVIII.